DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ, ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS IX. MARTII.

M. CAROLO LE CLERC, Doctore Medico Præside.

Conferunt-ne curandis morbis animi pathemata? 1051

NON solùm bona valetudo sustentatur rerum notitiâ quæ corporis nostri essentiam constituunt, sed & earum quæ cùm prodesse aut obesse soleant ἀδιάφοραι dicuntur. Offusus nobis aër dum natiuo calori refrigerium & spiritui pabulum præstat simul intemperie repentinâque mutatione corpora nostra afficit. Cibi potusque, dum permanentem corpori substantiam præbent, plurimis morbis gignendis materiam subministrant; eorum nulla foret necessitas si substantiæ nostræ non fieret deperditio. Somnus animantibus ad quietem viriumque per vigilias motusque tum corporis tum animi collapsarum instaurationem datus est, in morbis tamen, si laborem facit, lethalis. Animi pathematis ad morbos non modo excitandos sed & præcauendos curandosque vis est non mediocris, ob caloris vna cum sanguine & spiritu vel ad interiora reuocationem, vt in mœrore & tristitiâ, vel in corporis ambitum diffusionem, vt in gaudio, verecundiâ, oxythymiâ.

ARTEM medicam perficiunt æger, Medicus, morbus. Æger cum Medico morbo reluctari debet si victoriæ socius fieri exoptat: Morbus contrariis profligandus est; at si pariter cum corpore animus ægrotet in subsidium venient verborum blanditiæ, quibus mœrentis aut exasperati animi dolorem lenire possis & magnam morbi depellere partem. In ægro fidelis & diligens relatio & obedientia requiruntur, ideoque nisi Medicum vt quemdam deum suspiciat vix artis præceptis obtemperabit. Quid mirum igitur si non parum ægris prosit ab eo curari à quo volunt, Medicusque amicus ignoto sit vtilior? Illum commendatione dignum reddunt iudicium & experientia, quæ illius soboles est; cùmque mali Medici sit desperare ne curet, omnem ille mouere debet machinam vt prodesse possit ægris etiam deploratis; morbos sæpe nouat & mutat, febres accendit quæ grauiores & periculosiores affectus leuant. Quid ni quoque animi pathemata excitabuntur? vt horum ope calor natiuus languidus ac torpescens excitetur, vel auctior factus, ad debitam mediocritatem reducatur.

IRA, metus, gaudium, mœstitia & similia sunt auersæ à rectâ ratione commotiones. In animi parte rationis participe nihil turbidum, nihil molestum obseruare licet, sed placidam quietamque animi constantiam. Quibus vitale cordis robur infirmum est, animi vero pathemata valida, iis caloris natiui substantia facilè dissoluitur. Oxythymia, celerior in iram præcipitatio, muliebre quidem vitium est, quamquam incidat & in viros quibus muliebria sæpè insunt ingenia; caloris in corde exuperantiam & animosæ facultatis vehementiam sequitur. Hæc cor, pulmonem & caput roborat, corporique χλόασμα λαμπρὸν conciliat. Ira sanguinis efferuescentia circa cor ijs maximè exitiosa esse solet quibus cor & caput naturali intemperie, aut aduentitiâ calidiora existunt, mentem perturbat vt & artem vel famosi athletæ Pyrrhi testimonio, & cùm omne imbecillum sit naturâ querulum, præcipitis sunt iræ pueri, senes, mulieres, defatigati, famelici & quibus purgatione aut sanguinis deperditione imminutus fuit calor. εὐθυμία cor relaxat & diffusis ad exteriora spiritibus omnium facultatum vigorem excitat, corporisque habitum alit & humectat. Metus ob subitam caloris ad cor reuocationem pallorem inducit, partes extimas refrigerat, aluum sæpè soluit atque vrinæ excretionem sollicitat.

VT in corpore, cùm humores exuperant, morbi generantur; sic in animum vbi se cupiditates immodicæ intruserint, ægritudines in eo fiunt, cuius quidem haud secus ac corporis quædam datur εὐεξία quæ ἡ ἐπ' ἄκρον non minus quam athletica periculosa esse solet, hinc & ἀποπληξίη τῆς διανοίας, vixque reperias magnum aliquod ingenium sine mixturâ dementiæ. Caue tamen credas non aliàs duriorem extitisse naturam quàm cùm leuari mala voluit atrocibus remediis, aut ingenii acutiem felicitatemque corporis tarditate compensauit. Inuadit temperatissimos morbus, validissimos phthisis, secretissimos tumultus, sapientissimos quoque percellunt animi ægritudines. Apage Stoïcorum illam ἀπάθειαν; nullum est tam pertinax & acre Philosophiæ studium, nullaque disciplina quæ hominis mores ita temperare ac moderari possit, quin interdum perturbationum animi fluctibus & procellis iactetur. Vt nauis gubernatorem non commendat tranquillitas maris, sed huius in magnâ tempestate commotio, sic semper esse felicem & sine morsu animi transire vitam, ignorare est rerum naturæ alteram partem.

PER animi igitur affectus & tranquillitatem morbis medetur prudens & sagax medicus. Si nimium sibi fidit æger & proinde medici imperantis præcepta non audit, metu incusso reuocandus est à licentiâ. Si animum despondet ac ob id remedia respuat erigendus illius animus in spem melioris valetudinis; Metus quoque in nimio morbi æstu potest vt plurimùm prodesse. εὐθυμία, calorem natiuum excitans, frigidis morbis tenacibus ac refractariis vtilis est, item melancholicis quia τὴν καρδίην ἀφίησι. Quibus pituitosi humoris prouentus vberior, vt iis qui eruo & leguminibus in Æno vescebantur, crurumque impotentiâ & genuum dolore laborabant, bonum est ijs irasci, vt humores calefacti in profundo corpore delitescentes ad circunferentiam per patentes vias amandentur qui pituitæ coquendæ aliquid opis adferant.

Ergo conferunt curandis morbis animi pathemata.

Proponebat Lutetiæ ABRAHAMVS THEVART Parisinus A.R.S.H. M. D.C. LVI